

TRACTATUS VIII.
DE JUSTITIA ET JURE.

SECTIO I. — DE NOTIONIBUS JUSTITIAE ET JURIS
ET SPECIEBUS JURIS IN RE.

CAPUT I.

NOTIONES GENERALES JUSTITIAE ET JURIS.

461. DEFINITIO. *Justitia latius sumpta* multas habet significationes quas hic enumerare supervacaneum foret. Ita designat collectionem omnium virtutum (Matth. V, 6), statum gratiae (Rom. V, 17), actum vel habitum honestum (Matth. III, 15; Prov. VIII, 20), etc.

Justitia sensu presso definitur a S. Thoma (2. 2. q. 58. a. 1): "Habitus secundum quem aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum cuique tribuit." Hujus definitionis verba breviter explicabimus.

Voluntas illa dicitur *perpetua*, quia homo hac virtute praeditus, gerit propositum perpetuo justitiam conservandi; *constans*, quia idem in hoc proposito firmiter perseverat. (S. Th. 1. c.)

Verbum *cuique* indicat justitiae proprium esse "ut ordinet hominem in his quae sunt ad alterum." (2. 2. q. 57. a. 1) Et rationem addit S. Thomas: "Importat enim aequalitatem quamdam, ut ipsum nomen demonstrat; dicuntur enim vulgariter ea quae adaequantur justari: aequalitas autem ad alterum est." Nititur ergo justitia distinctione unius hominis ab altero, dum caritas fundatur in conjunctione hominum inter se, seu illius qui diligit cum eo qui diligitur. Ideo nequit justitiae proprie dictae debitum intercedere inter filium et patrem, si considerantur pater et filius qua tales sunt: sic enim filius est aliquid patris. (S. Th. 1. c. a. 4) Sed justitia proprie dicta inter eos intercedere potest si spectantur ut proximi seu duo homines.

Paula fusius explicandum quid sibi velit illa vox *jus* quae, in data definitione, justitiae objectum designat.

Jus latiori sensu multipliciter accipitur. Praecipui sensus sunt: quidquid quovis modo bonum est et aequum; — quidquid legi cuicumque conforme est; — ipsa lex seu collectio legum: sic distinguitur jus naturale, civile, ecclesiasticum, etc. sensu explicato in tr. de Legibus c. VI. de lege naturali, civili, ecclesiastica, etc.; — titulus quo res aliqua alii debetur, ex. gr. jus in patre ad filii oboedientiam. (Ball. P. n. 15)

Sensus proprius juris duplex est: activus et passivus, quorum unus alteri est correlativus.

Jus passive sumptum designat id quod alteri debetur, ex. gr. domus, servitus, redditus. Ita in definitione justitiae adhibetur.

Jus active sumptum est moralis potestas ad aliquid habendum vel faciendum in commodum suum, nemine rationabiliter refragante. Hic praesertim attendenda verba haec: *in commodum suum*; his enim discriminatur jus stricte dictum a quocumque alio jure latius sumpto. Ad quae intellegenda adverte cum Lugo (de Just. et Jure, disp. 1. n. 6): "non quamcumque praelationem in ordine ad aliquam rem esse jus illud quod respicit justitia commutativa, sed praelationem qua in usu talis rei debet hic homo aliis praeferrri, quia scil. propter peculiarem connexionem quam res habet cum eo, tota debet ad ejus utilitatem referri et ordinari: quae quidem ordinatio potissimum indicatur quando aliquid dicitur meum vel tuum." Discrimen clare patet exemplo servi et subditi. Ad actiones prioris herus habet jus stricte dictum, quia de his disponere potest, fere ut de pecunia vel cibo, in proprium commodum; ad actiones autem posterioris princeps non habet jus illud quod fundat debitum justitiae stricte talis, quia subditi oboedientia per se non ad utilitatem praecipientis, sed ad bonum subditi tendere debet.

Verba *nemine rationabiliter refragante* significant rem quae sit objectum juris ita esse mecum conexam ut, in ejus usu, reliquis omnibus praeferrri debeam. Hinc etiam oritur facultas *coactiva*: nam parum me juvaret jus, nisi simul haberem facultatem arcendi eos qui quod meum est laedere conentur.

Jus igitur, ut bene scribit Van Gestel (de Just. et lege civ. p. 14), tria includit: "1° Aliquid materiae instar quod utilitati habentis potest inservire. 2° Vinculum aliquod morale quo cum habente ita conectitur ut licite ipso uti possit. 3° Quum totum hoc sit objectum virtutis justitiae, quae est virtus ad alterum, hoc vinculum ad alios relatam in ipsis officium constituit quo velantur vel rem illam destruere, vel imminuere, vel impedire quominus re pacifice frui possit ille cui jus est ad illam."

Jus active spectatum distinguitur duplex: jus ad rem et jus in re.

Ut habeatur *jus ad rem* (quod etiam inchoatum vocatur), requiritur et sufficit justus titulus, vi cujus exigi possit rei possessio. Tale est jus ad solutionem debiti, jus ortum e testamento vel successione ab intes-

tato ante heredis acceptationem. Hoc jus non tribuit actionem in rem, sed in personam quae debet rem dare vel non impedire quominus detur.

Per *jus in re*, quod et plenum nuncupatur, ipsa res nobis obligatur. Ad hoc autem semper requiruntur duae condiciones: prior, ut res existat; sic nequit haberi jus in re quoad fructus nondum exstantes; posterior, ut habeatur titulus legitimus, ex. gr. emptio, donatio; sic jus in re minime habet qui rem alienam bona vel mala fide possidet. Plerumque etiam requiritur tertia condicio, nempe rei traditio. Haec tamen interdum a lege suppletur, ut in hereditatibus in quas jus in re per solam acceptationem acquiritur. (Ball. P. n. 50 seqq.)

462. DIVISIO. Triplex distingui solet justitia cui competat data definitio, non tamen cum eadem perfectione: generalis seu legalis, distributiva et commutativa.

1^o Justitia **generalis** inclinatur hominem ad reddenda communitati ea quae ipsi debentur, ex motivo boni communis procurandi. Haec dicitur generalis, non quatenus essentialiter idem esset cum omnibus virtutibus quae in bonum commune redundent, sed quatenus per influxum suum potest ordinare et imperare actus omnium virtutum ad bonum commune: eo modo quo caritas vocari potest virtus generalis in quantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum divinum. Vocatur etiam *legalis*, quia per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune. Est autem "in principe principaliter et quasi architectonice, in subditis autem secundo et quasi administrative." (2. 2. q. 58. a. 6) Nempe legislatorem obligat ad leges ferendas quibus commune bonum procuretur, subditos ad easdem servandas. Igitur objectum ejus materiale sunt ea quae in commune bonum cedunt: objectum formale est honestas procurandi commune bonum. Solet autem haec virtus restringi ad procurandum bonum societatis perfectae: nam, licet detur virtus valde affinis qua inclinatur homo ad procurandum bonum societatis minoris, puta civitatis cujus pars sit, haec tamen justitiae generalis nomine designari non solet. (Lugo, de Just. et J. disp. 1. n. 66)

2^o Justitia **distributiva** dividit commoda et onera communia debita proportionem inter membra communitatis. Haec formaliter residet in Superiore ad quem solum pertinet commoda et onera communia distribuere. De proportionem autem debita haec notat S. Th. (1. 2. q. 61. a. 2): "In justitia distributiva non accipitur medium secundum aequalitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rerum ad personas; ut scilicet sicut una persona excedat aliam, ita etiam res, quae datur uni personae, excedat rem quae datur alii. Et ideo dicit Philosophus, quod tale medium est secundum geometricam proportionalitatem, in qua attenditur aequale non secundum quantitatem, sed secundum proportionem."

3^o Justitia **commutativa** inclinatur hominem privatum ad reddendum alteri privato, cum aequalitate arithmetica seu rei ad rem, id quod ipsi stricte debetur. Haec ordinatur privatum ad privatum, sicut legalis ordinatur privatos ad communitatem et distributiva communitatem ad privatos. Potest tamen nonnumquam intercedere justitia commutativa inter privatum et communitatem, sed tantum ubi communitas se habet ad instar privati hominis, ex. gr. possidendo aedificia, contractus ineundo, etc. Haec sola, in sensu stricto, nomine justitiae venit et in hoc tractatu simpliciter eodem vocabulo designatur. Ambae enim praecedentes species a notione justitiae stricte talis deficient: justitia quidem legalis, quia ejus termini non sunt ita distincti ut unus non sit aliquid alterius: civis enim, quamdiu in communitate manet, est vere ejusdem pars, ac proinde quod confertur in communitatem confertur etiam in eundem civem; justitia autem distributiva, quia jus quod respicit non est proprium et rigorosum: antequam enim distribuantur bona, datur in singulis tantum dignitas quaedam ad talem partem honorum communium accipiendam, quae valde diversa est a jure stricto domini quod quisque in rem suam habet.

N. B. Plures ponunt quasi quartam justitiae speciem *vindicativam*, quae sotes propter commune bonum poenis congruis plectat. Rectius tamen haec ad unam e supradictis revocatur: ad legalem, quatenus quis talem punitionem, intuitu boni communis, procurat; ad distributivam, quatenus servatur debita proportio inter scelus et poenam; ad commutativam, quatenus iudex ex officio ad hanc punitionem stricte obligatur.

Justitia *socialis*, quae saepe hodie allegatur, eodem sensu usurpari solet quo definita est justitia legalis. Attamen quandoque tam lato sensu adhibetur ut ea etiam officia complectatur quae ad distributivam justitiam referri solent, puta commoda et onera communia, juxta aequitatis normam, inter cives partiri.

463. Justitiae legali *regulariter* satisfit a privato qui bono communi non nocet legesque in bonum commune latas servat: plerumque enim commune bonum ab eo efficaciter procurari nequit nisi is qui communitatis perfectae curam habet omnium conatus, ope legis, in eundem finem direxerit. Ad eandem tamen virtutem pertinent actus quidam qui directe in utilitatem totius societatis sint exercendi, puta suffragatio ad designandos legislatores. (n. 359) Idem censemus de officiis quae commune bonum societatis imponit uni classi civium, puta heris, erga aliam, puta operarios. (n. 647)

Justitiae distributivae satisfit a Superiore, modo in distribuendis tum bonis, tum oneribus communibus, debitam proportionem inter personas

servet. Haec, perinde ac legalis, per se sub gravi obligat cum utriusque transgressio gravem inordinationem in societatem inducere queat. Eidem adversatur *acceptio personarum*, quae in eo est quod in distributione bonorum communium non attenditur ad eam condicionem quae personam reddat dignam bono quod distribuendum sit, sed ad alias personae qualitates quae ad illam dignitatem nihil conferant, puta amicitiam Superioris. Verum attende non fieri acceptationem personarum a privato qui bona sua confert indignis vel minus dignis, quia bona privata non debentur ex ordine justitiae dignioribus, ideoque nulla his fieret injuria. (Ball. P. n. 46) Quandonam in iniqua bonorum communium distributione laedatur justitia commutativa, dicitur n. 515. Eadem in distribuendis oneribus publicis, puta tributis, laeditur quotiens subdito majus onus imponitur quam oportet, quia subditus jus strictum habet ne sibi auferantur bona propria nisi ea proportionem quae bono communi requiritur. Cfr. n. 573. Non explicabimus hic singillatim quae officia implenda sint in distribuendis muneribus sive civilibus, sive ecclesiasticis, cum hujusmodi argumentum ad Jus civile vel ecclesiasticum magis quam ad theologiam moralem pertineat. Cfr. Lugo, disp. 34 seqq.

De justitia commutativa seu stricte dicta jugiter in toto hoc tractatu agemus.

464. QUAER. Quanta sit efficacia et obligatio legis civilis in materia justitiae.

RESP. 1° Jus Romanum jam in plerisque regionibus abolitum est ideoque omnem vim per se obligandi amisit. Plurimum tamen prodest ejus cognitio, tum ad intellegendum Jus civile hodiernum, quod saepe ex illo derivatum est, tum ad interpretandum jus canonicum, quod se in multis dispositionibus ad Jus Romanum refert. Insuper theologo morali aliqua Juris Romani cognitio utilis, immo et necessaria est ad intellegendos AA. saeculo nostro antiquiores : quippe qui in materia justitiae quaestiones plurimas e Jure tunc vigente solverunt. Cavendum quoque ne nostris temporibus applicemus eorum solutiones quae unice innitantur positivis Juris Romani dispositionibus, jam omni vi obligante carentibus.

2° Ubi desunt Juris Canonici dispositiones, nostro tempore vigentes, recurrendum est ad legem civilem quae uniuscujusque regionis propria est. Ita in Belgio standum est Codici civili, qui, a Napoleone I conditus, saepe ab AA. *Jus Gallicum* vocatur. Attamen attendendum non paucos articulos per leges Belgicas correctos vel additos esse. In Stat. Foed. Americae multae leges pro variis Statibus variae sunt.

3° Ut determinetur quousque hodiernae leges civiles in materia justitiae

fiae conscientiam obligent, distinguendum est inter leges quae proprietatem directe determinant et leges latas de actibus quibus proprietas ab uno cive in alium transfertur.

Priores leges *obligant in conscientia ante judicis sententiam*. Nam juste, pro utilitate communi, ab auctoritate competente feruntur, neque ulla sufficiens ratio apparet ob quam illarum termini non sumantur in sensu proprio, sed explicentur, cum paucis quibusdam AA., de jure quod servandum sit ubi iudex appellatur. Hoc principium supponunt omnes AA. qui admittunt dimidiam partem thesauri in fundo alieno inventi dandam esse fundi domino, etiam ante judicis sententiam : quales sunt Molina, Lugo, Lessius, Ballerini, Lehmkuhl aliique plurimi allegati a P. Van Gestel. (op. cit. p. 156 seqq.) Excipe :

a) Si qua lex civilis contraria esset legi naturali vel legi ecclesiasticae in materia de qua Ecclesia disponit jure proprio, non autem e mera concessione principum quam hodie jam non urgeat. Prius raro, posterius crebro contingit, cum soleant jura civilia hodierna nullatenus de sanctissimis Ecclesiae juribus curare.

b) Si constaret quamdam legem esse mere poenalem. Constare id potest vel ipsius argumenti natura, ex. gr. ubi lex thesaurum, in fundo alieno ex industria quaesitum, totum tribuit fundi domino (n. 484), vel e communi virorum timoratorum persuasionem, qui talem legem tamquam mere poenalem habent. (n. 141)

De legibus regentibus actus quibus transfertur proprietas, dicitur n. 594.

CAPUT II.

DE DOMINIO.

§ 1. NOTIO ET DIVISIO.

465. DEFINITIO. Dominium, ut hic sumitur pro specie juris in re, definiri potest : Jus disponendi pro arbitrio de aliqua re tamquam propria, nisi aliunde dominus ab aliqua dispositione facienda prohibeatur.

Jus intellegitur proprie dictum, eo sensu qui explicatus est n. 461.

Disponere pro arbitrio significat : domino, quantum ad justitiam commutativam pertinet, integrum esse ut de re sua disponat prout placuerit, eam vendendo, donando, destruendo, etc. Attamen haec dispositio